



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

non est locus plenæ restitutione spoliij, nempe, quoad cohabitationem, & copulam; at bene quoad solam habitationem, & alia ministeria inter coniuges mutuò debita præter copulam, nisi vir ad eò seuerus sit, vt merito timeatur extorsio copulæ, nec possit sufficienter caueri hoc damnum data cautione per virum. Tunc enim differenda est restitutio, donec cognoscatur de iustitia exceptionum, *libr. 7. disp. 112. à nu. 6. vsque ad 10.*

12 Quando nulla alia ratio spoliij allegatur à coniuge deserente suum coniugem præter spoliati coniugij impotentiam, & triennium experientiæ lapsum, non est cogendus coniux, qui recessit, excommunicatione contra ipsum lata ad cohabitandum, quæ coactio fit ratione contractus; tamen triennio lapso iam experientiæ restitutio facienda quoad habitationem, antequam exceptio admittatur, *libr. 7. disp. 112. à nu. 11. vsque ad 14.*

S

Sæuitia.

1 **I**ntegrum est coniugi propria auctoritate diuertere ob adulterius sæuitiam tantam, vt absque grauis damni periculo non possit cum illo habitare, donec cautio sufficiens præstetur, & quauis alias restitutio ante omnia faciendâ sit: excipitur tamen casus in quo coniux diuertens opponit alterius sæuitiam, non solum quoad habitationem, sed
etiam

etiam quoad redditionem debiti, *lib. 10. disp. 18. à nu. 1. vsque ad 5.*

2. Causa sufficiens diuertendi est tentatio mortis alterius veneno, vel alia via à quocumque coniuge facta. Item quæcumque sæuitia ineuitans metum viri constantis, vt molesta cohabitatio, rixæ, & discordiæ. Item quando vir tres pueros in utero necauit. Item minæ, si minans solitus est minas exequi. Item verberatio acris, & correctionis marito concessa limites excedens, & non semel casu accidens, sed reperita. Secus, si leuis ex causa, vel sine ea, vel si atrox præterita iam casu ex insolito iræ motu contingens; nec est probabilis timor in posterum exercenda. Item non sufficit consuetudo extorquendi vi ab vxore debitum conjugale, *lib. 18. disputat. 18. à num. 6. vsque ad 17.*

3. Non sola sæuitia præterita est causa sufficiens diuertendi, & præstat causam cautionis petendæ, sed etiam timor futuræ sæuitiæ, ac malæ tractationis. Item est causa sufficiens, si absque sæuitia damnum immineat vxori ex viri atrocinijs, alijsve delictis. Item, si vxor est venefica, liberorumque interfectrix, & deprædans facultates furto notabili. Vel quando præsumitur tale, ita vt is timor cadat in constantem virum amittendi facultates. Item non sola sæuitia viri, sed etiam illius parentum sufficit erga vxorem ad diuertendum, & petendam securitatem, sed desi-

deratur ad hoc diuortium legitima, & verifimilis causa timoris, *lib. 10. disput. 18. à num. 19. vsque ad 24.*

4 Cautio pignoratitia, vel fideiussoria sufficit, vt coniux probabiliter timens alterius sequitiam, teneatur cum illo habitare. Sufficit etiam solum iuramentum, quando eo præstito, satis consulitur vxoris incolumitati. Item sufficit solum iuramentum, quando vir non habet pignora, nec inuenit fideiussores. Idem dicendum, si vir sit discretus, & vitæ emandata. Item cautio de non offendenda vxore semper danda, quamuis ipsa det causam sæuitiæ. Tamen hæc cautio non impedit, quin viro liceat moderatè punire vxorem intra limites permissos marito, *lib. 10. disput. 18. à num. 40. vsque ad 46.*

Semen.

1 Semen desideratur ad generationem, & est probabile adfuisse in Virgine Maria absque omni prorsus inordinatione, vt ministraret Conceptioni Christi materiam, vt sic esset vera, & naturalis mater Dei, *libr. 2. disputat. 21. num. 11.*

2 Voluntaria feminis effusio, tam in viro, quàm in fœmina extra vas, aut modus congregiendi ex quo sequatur, est mortale contra naturam. Item nunquam licet procurare, etià medijs licitis, feminis emissionem, nec ad præseruandam vitam, nec cooperari ad feminis iam è lumbis decisi effusionem, quamuis retentio

tio

tio saluti detrimentum afferat. Arramen licitum est, muliere patienti accidentia venenosa causa retentionis in vase feminis corrupti, conari illud expellere, *lib. 9. disp. 17. à num. 13. vsque ad 19.*

3 Licet, vbi pollutio est in naturali fluxu, in somnisque coepit illam non impedire ob morbi perniciem, cessante periculo consensus in delectationem. Imò expedit tunc manibus quietis non hic, vel illic tangendo, signo crucis se munire, & Deum attentè ac feruenter orare, ne permittat lapsum in eam delectationem. Idem dicendum de pollutione incepta, culpa patientis, & in ipso fluxu præteritæ culpæ cum pœniteat, *lib. 9. disp. 17. nu. 7.*

4 Non licet notabilem distillationem, aut commotionem spirituum vitalium procurare, secus, si sit leuis, & non notabilis, *lib. 9. disp. 17. nu. 18.*

5 Matrix solet sæpè retinere semen sufficiens ad generationem, alio superfluo expulso, *lib. 9. disp. 17. nu. 25.*

6 Fœmina non tenetur anxie, diuque manens in lecto intacta, & resupina susceptum semen conseruare; peccat tamen mortaliter contra naturam statim post coitum vrinam effundens, aut se erigens, aut quidquam aliud faciens, quo semen susceptum expellat, *lib. 9. disputat. 20. num. 3. & 4.*

7 Quoties pollutio sequitur præter intentionem ex causa aliqua necessaria, vel cõuenien-

te corpori, vt est cibus, vel potus moderatus, aut animæ, vt orare, studere, aut vtili alijs, vt audire confessiones, forminas cautè, & cum necessitate alloqui, nulla culpa est non desistere à causa illa, quãuis in ea præuideatur pollutio inde subsequutura, & quamuis ea causa licita, in qua pollutio præuideatur, sit illicita ratione circumstantiæ extrinsecæ, vt audire confessiones ob vanam gloriam, vel cibos necessarios edere, quibus ieiunium violat; nisi probabile consensus in pollutionis delectationem, periculum subfit, *lib. 9. disputat. 45. num. 4. 5. 6.*

8. Expertus se pollui ex equitatione absque consensus periculo, non tenetur pedester incedere, ab illa que desistere, *lib. 9. disput. 45. num. 7.*

9. Pollutio præter intentionem subsequuta ex tactu necessario, & in eo præuisa, cessante periculo consensus, caret omni culpa. Item licitum est sentienti magnum pruritus in partibus verendis illas refricare, quo pruritus sedet, et si adsit periculum pollutionis absque consensus discrimine, *lib. 9. disp. 45. nu. 8. & 9.*

10. Licitum est virtutis generatiuæ obstacula remouere, adhibitis medicinis naturalibus minimè tendentibus ad verum semen expellendum, sed ad remouendos humores corruptos, licet inde præter intentionem sequatur pollutio absque consensus periculo, *lib. 9. disp. 45. nu. 10.*

11 Duplex est causa, ex qua potest subsequi pollutio. Quædam ex luxuriæ genere, quæ per se turpes sunt, & ad luxuriam pertinent directè, ut tactus, aspectus, verba turpia. Aliæ sunt non ex genere luxuriæ, ut nimius esus, potus, equitatio; & istæ non excitant venerè ita proximè sicut aliæ, sed remotè, & valdè tenuis est obligatio vitandi pollutionem in causis, quæ per se, & proximè non ordinantur ad illam, *lib. 9. disp. 45. nu. 14. & 15.*

12 Solum reperitur culpa mortalis ratione pollutionis præuisæ, nec intentæ, quando absque urgente necessitate exercetur actio ex sua natura turpis, & per se tendens ad actus venereos excitandos pollutionemque excitandam, *lib. 9. disp. 45. nu. 16.*

13 Pollutio præuisa in gulæ peccato etiam mortali non habet specialem pollutionis malitiam mortalem, nisi sit intenta, ac sit probabile consensus periculum. Atque ita ratione pollutionis præuisæ, non tenebitur aliquis sub mortali eam causam vitare; quamvis eadè non ad luxuriam pertinentes efficerentur lethales in genere luxuriæ ratione solius finis intenti ab operante. Nec etiam est mortalis pollutio, quæ sequitur ex rebus venialibus in genere luxuriæ, licet essent ex alia ratione mortales. Est tamen peccatum veniale contra castitatem: pollutio illa præuisa in causis illicitis non influentibus ad illam notabiliter, *lib. 9. disp. 45. nu. 16. vsque ad 22.*

14 Omnis actus turpis mortalis contra sextum præceptum, si in eo prævideatur pollutio, etiam non intenta, habet specialem malitiam contra naturam ratione illius pollutionis præuisa. Item inter omnino solutos nullus actus habet malitiam mortalem, eo quod sit pollutionis præuisa, & non intentæ causa, nisi secluso eo pollutionis periculo esset peccatum mortale contra sextum Decalogi præceptum. Excipe tamen nisi in venerea delectatione voluntas negatiuè se habeat, nec admittens, nec respuens. Et ad hoc non est attendendum, ut pollutio præuisa, nec intenta sit mortalis, an causa sit in se mortalis, secluso eo periculo pollutionis, vel licita, tum quia peccans mortaliter peccato gulæ, quamuis prævideat pollutionem sequendam, non peccat lethaliter contra 6. præceptum; tum quia tactus turpes in coniugatis sunt liciti; & tamen pollutio inde orta, & præuisa est mortalis, *libr. 9. disput. 45. à num. 13. vsque ad 27.*

15 Dans causam culpabilem pollutioni, si pœniteat legitimè causæ datæ antequam subsequatur pollutio, postea subsequuta vacat culpa. Item quoties est peccatum mortale dare causam pollutioni præuisa, non remouendo causas notabiliter influentes; similiter est mortale dare causam notabili distillationi, aut commotioni spirituum vitalium seruientium generationi per similes causas, *lib. 9. disp. 45. à num. 28. vsque ad 33.*

16 Semen brutorum effundi procurare, nō est mortale, *lib. 9. disp. 46. nu. 15.*

Seruitus.

1 Serua ducta à domino, attento iure communi, non efficitur libera, attento tamen iure Regni Hispaniæ, eo ipso consequitur libertatem, *lib. 7. disp. 20. nu. 11. & 12.* Idem dicendū, si dominus dotalia instrumenta conficiat, tradens ancillam in matrimonium, conscio seruitutis libero, *ibid. nu. 9.*

2 Serui sunt in triplici differentia. v. g. quidam sunt veri serui, qui ita sunt domini, vt eos venū dare possit. Alij sunt adscriptitij, qui glebæ, seu prædio colendo sunt perpetuò addicti, Alij verò originarij, qui sunt orti ex his adscriptitijs, *lib. 7. disp. 19. nu. 1.*

3 Error conditionis seruilis, quando liber contrahit cum ancilla, vel libera cum seruo, reddit irritum matrimonium iure Ecclesiastico, *lib. 7. disp. 19. num. 16.* Secus, si seruitus ignorata non sit perpetua, sed pro certo tempore concedatur seruo libertas, & in hoc libertatis spatio inearur matrimon. *ibid. à nu. 2. vsque ad 5.* Quando autem seruitus non est vera, sed originaria, aut adscriptitia, non dirimit matrimon. *ibid. nu. 9.*

4 Coniux seruitutis ignarus potest propria autoritate detecta seruitute alterius coniugis quoad torum, item quoad habitationem, si matrimonium est occultū, & parochus obijt, & testes, & liber amissus, recedere. Item

R s

quan-

quando matrimonium est publicum, & seruitus notoria, cessante scandalo, & coniugi seruilis conditionis incumbit onus probandi scieriam suae conditionis in altero, *lib. 7. disput. 19. nu. 7. & 8.*

5. Validum est matrimonium cum liberta, id est, cum ea, quae ancilla fuit; iam tamen libertate donata est. Idem de matrimonio inter seruos, vel cum liberis, cognita seruitute. Nec peccat liber ducens ancillas, nec è contra, nec est irregularis. Idem de matrimonio inter infideles cum errore conditionis, nisi aliqua lex eorum illud prohibeat. Idem de matrimonio contracto errore conditionis parioris, aut dignioris. Secus dicendum de contracto cum ignorantia conditionis seruilis leuissima, & valde crassa, *lib. 7. disput. 19. à num. 9. vsque ad 24.*

6. Seruus, cui pro certo tempore conceditur libertas, est liber in perpetuum, *lib. 7. disput. 19. nu. 3.*

7. Serui liberi fiunt, eos domino collocante in matrimonium cum liberis ignorans seruitutis, & non detegente conditionem. Secus dicendum, si vterque est seruus, vt alter liber conscius seruitutis. Item satis est, vt seruus, vel ancilla consequatur libertatem, vt domino sciente, & cum dolo tacente conditionem seruilis, conscioque, matrimonium illud inerat cum persona libera seruitutis ignara. Est in his casibus, in quibus consequitur libertas,

matr.

matrimonium est validum, *lib. 7. rora disp. 20.*

8. Seruus inuito domino potest licite matrimonium contrahere. Vnde nec potest à domino impediri, nec tuta conscientia cum punite propter matrimonium, nec potest venundare alij post sponsalia celebrata; secus si ante, *lib. 7. disput. 21. à numer. 1. vsque ad 10.*

9. Seruus coniugatus, quando cetera sunt paria; potius tenetur satisficere vxori, quam domino, siue matrimonium sit contractum volente, siue inuito, siue contradicente domino. Quando autem non sunt paria, tenetur satisficere illi, cuius necessitas magis vrget. Et hoc est accipiendum morali modo, & non in rigore physico, *lib. 7. disp. 21. num. 15. & 16.* Et concedendus est ei locus matrimonij visum, *ibid. nu. 17.*

10. Vxore libera existente, siue à tempore matrim. siue ex post facto libertatem consequuta, & commodè potente sequi virum, potest seruus vbicunque à domino venundari. Idem de vxore serua existente viro libero. Secus dicendum quando vterq; coniux est seruus, vel alter liber, & non potest comodè sequi alium coniugem. Nisi seruus malè moratus sit, ita vt nequeat à domino absq; periculo proprio, vel suarum rerum sustineri, non inueto emptore in partibus vicinis. Et non sufficit, vt possit venundare, non inuenire pretium iustum, sed requiritur necessitas dicta periculi domini. Item quando vterque coniux seruus est diuersi domini, & diuersa

loca inhabitantis, ita vt mutuo conueniri nequeant, cogendus est alter Dominus per Ecclesiam, vendere alteri volenti emere. Quòd si neuter velit, cogendus est alter vendere cuicumque extraneo in parte illa, in qua seruus est; & si nullus inueniatur emptor, emat Ecclesia, vel cogat aliquem, vt emat in loco, vbi seruus est, *lib. 7. tota disp. 22.*

21 Seruus acquirit ius quoad obligationem naturalem ex promissione à domino sibi facta, vel è contra. Secùs quoad ciuilem, *lib. 7. disp. 24. nu. 22.*

Simoniam.

1 Licitum est offerre munera gratis, & absque aliò pacto ad captandam beneuolentiam, & inducendum ad Baptismum, & ad religionem, & ad alia opera spiritualia. Item pecunijs auferre impedimenta retardantia à Baptismi susceptione, aut à Religionis ingressu. Item licitum est offerre munera ea lege & pacto, vt is, cui offeruntur, efficiat aliqua opera spiritualia, v. g. vt recipiat Baptismum, ingrediatur religionem, sacramenta frequentet, aut à peccatis recedat, dummodò non dentur in pretium illius operis spiritualis, sed ad inducendum ad illa, *lib. 1. disputat. 39. numer. 2. 3. & 4.*

Sodomiam.

1 Ex copula sodomitica non oritur affinitas; impedit tamen matrimonium propter criminis enormitatem, *lib. 7. disp. 64. nu. 13. & 14.*
Spon-

Sponsalia.

1 Sponsalia dicuntur à spondendo, quod est sponte promittere. Accipiuntur vero tripliciter. 1. pro futuri matrimonij promissione. 2. pro matrimonio non consummato, vt *Matt.* 1. cum esset desponsata, & c. 3. pro muneribus datis sponsæ à sponso. Prior autem significatio est prior, quia sponsas proprie intelligimus, quas de futuro appellamus, *l. 1. d. 1. nu. 1.*

2 Sponsalia sunt nuptiarum futurarum promissio. Triplex requiritur conditio, vt valida fiat. 1. vt sit promissio futuri matrimonij, 2. vt sit inter personas iure habiles ad contrahendum. 3. vt verbis, aut signis manifestetur. Item appellantur sacramentalia quædam matrimonij, id est, quatenus sunt præuia ad matrimonij sacramentum, nullam habentia sanctitatē, sicut Exorcismus respectu Baptismi, *l. 1. disp. 1. num. 7. & 8.*

3 Sponsalia contracta in diem, sunt statim absoluta, at non obligant ante aduentum diei. *l. 5. disp. 19. num. 11.*

4 Sponsalia conditionalia non transeunt hodie in absoluta per copulam, *lib. 1. disp. 26. num. 12.*

5 Illæ personæ sunt habiles ad contrahenda sponsalia, quæ possunt contrahere licitum matrimonium, & habent ætatem requisitam in iure, *l. 1. disp. 15. nu. 1.*

6 Impedimentum tantum impediens perpetuum matrimonium, dirimit sponsalia. Secus di-

cus dicendum de temporali: nisi promissio sit contrahendi pro eo tempore, quo adest impedimentum, *lib. 1. disp. 15. nu. 2.*

7^o Septennium physicè completum desideratur, ut sponsalia sint valida: & eo nō adepto, non sufficit usus rationis, nisi suppleat malitia ætatem, v. g. in quacunq; ætate usus rationis perueniat sufficiens ad peccandum mortaliter, *l. 1. tota disp. 16.*

8^o Si uterque, vel alter contrahens minor septennio sit, nec malitia suppleat, sunt nulla sponsalia, nisi post legitimam ætatem ratificentur tacitè, vel expressè, habitando simul in domo viri, mulieris aut cuiuscunque. Item vocando se sponfos, vel simul iacendo, vel se osculando; vel petendo domum, vel mittendo munuscula à sponfis consueta. Et requiritur quòd contrahentes sciant priora sponsalia fuisse nulla, *l. 1. disp. 16. nu. 6. & 7.*

9^o Contrahere sponsalia, vel matrimonium ante legitimam ætatem, non est peccatū mortale, *l. 1. tota disp. 17.*

10^o Sponsalia obligant sub peccato mortali, *l. 1. tota disp. 27.*

11^o Sponsalia contracta nullo præfixo termino sunt implenda tantum requirente eo, cui promissio facta est: tunc verò, cum alter petit, tenetur contrahere, si commodè potest, *lib. 1. tota disp. 28.*

12^o Sponsalia contracta, vel matrimonium à parentibus, vel matribus pro filijs præsentibus, &c.

bus, & tacentibus, sunt valida, licet filius sit
 sui iuris, siue spurius, & ex damnato concu-
 bitu genitus. Secus dicendum, si filij absint, &
 doli capaces non sint, nisi certiores facti rati-
 ficent tacite, aut expresse, *libr. 1. tota disputa-
 tion. 23.*

13. Alij à parentibus non possunt contrahe-
 re valida sponsalia pro filijs tacentibus, & præ-
 sentibus. Quando tamen respondent alij à pa-
 rentibus sufficit ad validitatem ratificatio ta-
 cita. Secus dicendum quando fuerit consue-
 tudo loci, ut manifestetur cōsensus per extra-
 neos, ut apud Indos, ubi gubernator cōtrahit
 matrimoniū pro seruo, *lib. 1. d. 23. nu. 7. 8. & 14.*

14. Parentes contrahentes pro filijs, non
 constante de interno dissensu, cōsentur etiam
 in foro conscientie sponsalia, vel matrimo-
 nium: si vero contrahant extranei, in utroque
 foro nulla erunt, *libro. 1. disputation. 23. num. 12.*
& 13.

15. Sponsalia cum vna ex pluribus non sunt
 valida, nisi verba proferantur in personam de-
 terminatam. Electio tamen est promissoris. Si
 vnam offerat, excusatur, & omnibus obeuntibus
 excepta vnâ, tenetur illam dare, si absolu-
 tē promisit, quamuis animum habuerit dandi
 certam. Secus, si habebat animum se obligandi
 ad certam tradendam, & nō aliam, non sequu-
 to alio damno, nec scandalo, *l. 1. disp. 26. à nu. 11.*
v. s. q. ad. 2.

16. Si sponsus copulam habeat cum aliqua
 ex fi-

ex filiabus à patre promissis, non tenetur tradere, nec illam, nec aliam, nisi illa cognita contraxerit determinatè sponsalia cum illo cognoscente, *l. i. disp. 26. n. 4.*

17 Pater promittens dare filiam certam, & illà recusante, sororem tenetur, v.g. tradere Mariam, & reuente, sororem, nisi Maria tacitè, vel expressè consensisset absolutè sponsalibus: secus, si cum conditione, vt pater pollicitus est, *l. i. disp. 26. nu 5.*

18. Promittens vnã ex plurib. consentientibus ducere, potest eligere, quam maluerit, & electa tenebitur, *libro. 1. disputation. 26. numer. 6.*

19. Attento iure antiquo sponsalia cum vna ex pluribus certis, & omnibus repromittentibus per copulam habitam cum aliqua ex illis, transibant in matrimonium. Secus dicendum de sponsalibus cum vna ex incertis, aut si pluribus dicat aliquis, promitto me omnes vos ducturum, *libr. 1. disputat. 26. à numer. 7. vsque ad 11.*

20 Recusans implere sponsalia, priùs monendus: & reuens cogendus per censuram, & præcipue si intercedat iuramentum, non sequuto scandalo, & perpetuâ rixâ, & iudex debet prudenter arbitrari ea, scandala sequenda. Et videns sponsum adeò obstinatum, ira vt non prosit censura, est absoluendus, quamuis non petatur absolutio ab illo. Item vterque iudex ecclesiasticus, aut sæcularis, potest ad spon-

Sponsalia cogere, nisi tractetur de valore, *lib. 1. tota disp. 79.*

21 Sponsalia per religionis ingressum professione nō sequuta, dirimuntur, quamvis ingressus fiat fraudulenter. Et dissolventur omnino ex parte vtriusque, quando sponsus bona fide ingressus est: secus, si dolosè, & animo cœcundi, *l. 1. tota disp. 42.*

22 Qui sponsalia iuravit, potest ingredi religionem matrimonio minimè contracto, nisi necessitas urgeat ad prius contrahendū. Tunc enim tenetur, & ante consummationem potest ingredi religionem, ut consulatur fœminæ dedecori, vel ut proles legitima efficiatur, *l. 1. disp. 43. nu. 3. & 4.*

23 Qui iuravit sponsalia, & post illa se astringit voto religionis, non potest absq; culpa lethali matrimonium inire animo firmo ingrediendi religionem ante consummationē. Idem dicendum, si nullum habeat votum, & contrahat tali animo, exceptis tribus casibus. Primus: quando est notabilis metus, quamvis non cadens in constantem virum, famæ propriae, aut amittendæ vitæ. Secundus, si voto astrictus alio modo non potest ingredi religionem, ut si inclusus detinetur. Tertius est ad vitandum magnum scandalum. Nota tamen, quod matrimonio contracto, non tenetur religionem ingredi, sed potest tantum, *l. 1. disp. 43. à nu. 6. vsq; ad 12.*

24 Contrahens sponsalia, & sub ea spe virginem

ginem deflorans, non potest ingredi religionem, & tenetur eam ducere. Idem dicendum, quando non sequuta copula patitur foemina culpa promittentis notabilem fame iacturam. Idem dicendum, quamuis sponsalia vera non essent. Et in his casibus non satisfacit promissor, si contracto matrimonio ingrediatur religionem ante consummationem, & si voto se astringat, potest, & tenetur matrimonium contrahere, illudque consummare, non obstante voto, *lib. 1. tota disp. 44.* Idem dicendum si sit vidua honesta, ac bonae famae, & non infimae fortis.

25 Qui prius emisit votum religionis, aut castitatis, virginemque defloravit fide data de matrimonio contrahendo, tenetur eam ducere, si ea votum promittentis ignorabat. Idem dicendum de vidua honesta, & bonae famae, & non infimae fortis, *l. 1. tota disp. 45.*

26 Sponsalia dissoluntur per votum simplex religionis, vel castitatis praecedens: secus de proposito firmo celibatus, & de voto castitatis facto post sponsalia etiam ex parte promittentis. Et qui vouit animo manendi in saeculo, & a sponsalibus resiliendi, peccat mortaliter, & alius manet liber ab obligatione. Non peccat tamen si voueat animo ingrediendi religionem, & seruandi castitatem ex sua parte: non tamen tenetur ingredi, aut ordinem sacrum sumere. Et tale votum obligat in ipsius voueris, & non sponsae praedictum, *l. 1. tota disp. 46.*

27. Spon-

27. Sponsalia non dirimuntur per votū ordinis sacri suscipiēdi sequens: nec illi astrictus potest ad sacros Ordines promoueri. Nec etiā per electionem factam à Pontificē sponsi in Episcopum: nec per præceptum ad acceptandum, nisi ex certa sciētia sponsalium id faciat. Et quando vnus se astringit voto suscipiendi Ordines sacros, alter liber manet ab obligatione. Non tamen tenetur, sed potest ingredi religionem, & si non ingrediatur, tenebitur contrahere matrimonium, *libro. 1. tota disputatione. 47.*

28. Sponsalia dirimuntur per matrimonium sequens validum. Secus de inualido: licet sint iurata. Alter tamen sponsus manet liber ab obligatione, & ille, qui virginem violauit spe ducendi aliam tenetur soluto matrimonio eam ducere, non vi sponsalium, sed ratione damni, nisi aliunde satisfactum sit. Idem dicendum de vidua, *l. 1. tota disp. 48.*

29. Priora sponsalia non dirimuntur per posteriora habitā copulā, intellige ex parte contrahentis posteriora: secus dicendum ex parte alterius. Nec etiam ratione damni, licet secunda sint iurata. Nisi detur causa iusta, & sufficiens recedendi à primis. Secus si prima casu dissoluta sint: & tunc solum ratione damni illati, & non promissionis tenebitur. Tandem aliquando dirimuntur priora per posteriora sponsalia ex quadam æquitate, & tenetur secundam ducere, vt si intercedat graue:

grauē

graue detrimentum honoris, & prior leuiter lædatur. Et in hoc casu potest iudex damnare, vt secundam ducat. Idem dicendum, si coram testibus pollicitus est posteriori, priori vero occultè. *l. i. tota disp. 49. & 50.*

30 Habens contracta sponsalia, contrahens secundo cum consanguinea primæ sponsæ in primo gradu consanguinitatis cum copula, nec vnum nec aliud matrimonium potest inire, *l. i. disp. 49. num. 3.*

31 Quando duo impuberes sponsalia contrahunt, neuter potest ante pubertatem resilire, pubes tamen factus potest quilibet, & prius factus non tenetur expectare pubertatem alterius. Et non sufficit mutus impuberum consensus, vt ante pubertatem resilire possint. Itē pubes contrahens cum impubere, nunquam resilire potest: licebit tamen impuberi, cum pubes factus fuerit, & non antea, *lib. i. disp. 51. à nu. 5. vsque ad 10.*

32 Si maior septennio contrahat cum infante non potest resilire, donec infans septennium habuerit: & tunc eo volente tenetur promissis stare. Item quando parentes contrahunt pro impubere, non potest impubes resilire à sponsalibus veris, & etiam præsumptis, donec pubescat. Secus dicendum de sponsalibus nullis. Et requiritur, vt statim adeptâ pubertate resiliat, alioquin postea non poterit. Statim autem, intelligitur triduo ante, vel post pubertatem, *l. i. d. 51. à n. 11. vsque ad 14.*

33 Non est opus, vt factus pubes sponsalia ratificet, sed eo ipso, quòd non reclamat, manent indissolubilia. Secus dicendum de matrimonio, ad quod requiritur nouus consensus. Et quando impubes dissentit ante pubertatem, nec dissentium mutat, & factus pubes non amplius recordatur, sponsalia manent dissoluta. Et quando persistit toto tempore præcedenti in sponsalibus, & factus pubes interius dissentit, manent sponsalia dissoluta in foro conscientia: secus de foro contentioso, & iura concedentia impuberibus, vt possint resiliere, procedunt in vtroq; foro, *l. i. d. 51. à nu. 15. vsque ad 19.*

34 Sponsalia impuberum ita firmanur iuramento, vt nulli, a deceptâ pubertate, liceat resiliere: & vt iuramentum firmet sponsalia, requiritur, vt impubes sit doli capax, v. g. quando ita pubertati proximi sunt, vt intellectum, ac discretionem habeant ad firma reddenda sponsalia. Et quando dicantur proximi pubertati relinquitur arbitrio iudicis ex coniecturis videndis, & quando puer non est ita doli capax ad confirmanda sponsalia, indiget relaxatione iuramenti, quæ concedenda est facile ab Episcopo propter ætatis imbecillitatem, *l. i. d. 51. à n. 22. vsque ad 25.*

35 Sponsalia puberum etiam iurata in fauorem patris, seu in honorem Dei, per mutuû consensum dissoluuntur. Et quando vnus resiliit à sponsalibus, licet ab obligatione liber
non

non sit, alter tamen manet liber. Item nullo præfixo termino, si alter requisitus renuit tanto tempore, ut sit in mora, peccat mortaliter, & alter manet liber, *libro primo tota disputatione 25.*

36 Sponsalia termino præfixo non impleta non obligant eum per quem non stat, quando terminus adijcitur ad restringendam, seu definiendam obligationem. Secus, quando adijcitur ad sollicitandum obligationis effectum, *l. 1. disp. 35. nu. 5.*

37 Si terminus ab vno tantum contrahentium destinatur, ut alter intra illum impleat, censetur destinatus tantum ad sollicitandum. Tamen quando adijcitur ab utroque contrahente respectu alicuius per utrumque implendi, si initio contractus adijciatur, id est, antequam contractus sit perfecte initus, & obligatio contracta, censetur adiectus causa restringendæ obligationis, ut eo transacto non duret, *l. 1. disp. 53. nu. 3.*

38 Sponsalia non dissoluntur quando alter, vel uterque legitime fuit impeditus, licet transeat terminus. Item quando tranfit terminus à iudicè positus ob periculum fornicationis instans: eo transacto is, per quem nõ stetit, potest aliud matrimonium inire, *l. 1. disp. 53. n. 6. 7. 8. & 9.*

39 Sponsalia etiam iurata dissoluntur per translationem sponsi in longinquam regionem sine licentia sponsæ, nec requiritur sententia iudi-

iudicis. Et hoc dicendum est in utroque foro.
Tamen si sponsus est in loco propinquo, expectandus, vel requirendus est, ut contrahat, & si est detentus iusto impedimento, non dissoluuntur, nisi detur periculum fornicationis. Item quando de proximo sponsi reditu nulla est spes, dissoluuntur: secus, si est aliqua spes. Item quando sponsus de licentia sponsæ se in longinquum transtulit, inter eosque conuenit de absentia tempore, si non venit tempore statuto potest alij nubere, nisi constet, sponsum inculpabiliter non venire. Et sponsus de futuro non tenetur sequi sponsum vagantem. Item mutatio domicilij in alium locum, est causa dissoluendi sponsalia, l. 1. disput. 54. à nu. 6. usq. ad 14.

40 Sponsalia etiam iurata dissoluuntur per sequentem fornicationem naturalem, vel spirituales sponsi, vel sponsæ. Item per tactus impudicos, oscula, amplexus sequentes sponsalia sponsæ, non tamen sponsi. Item per copulam præcisam saltem sponsæ, non tamen sponsi inuiti. Et in fornicatione non datur compensatio. Et ita femina fornicans non potest resiliire, & vir potest fornicans. Et hæc sponsalium dissolutio est in fauorem innocentis, lib. 1. tota disp. 55.

41 Sponsalia soluantur per superueniens impedimentum dirimens, non verò per solum impediens, excepto voto simplici castitatis: & is cuius culpa contrahitur impedimentum,
tene-

tenetur impetrare dispensationem, si facile potest, & deflorauit foeminam, aut infamiam patitur, Secus non concurrentibus his, *l. 1. tota disp. 56.*

42 Sponsalia etiam iurata dissoluuntur per foeditatem notabilem oculorum, vel nasi superuenientem: per paralyfim, lepram, morbū contagiosum, gallicum, aut alium incurabilem. Item per foetorem oris, per damnationem criminis turpis, aut per deformationem quamcunque. Et haec intelliguntur ex parte illæsi, & sic eo volente dissoluuntur: secus, si nolit, *l. 1. tota disp. 57.*

43 Sponsalia etiam iurata dissoluuntur per notam denuò notabilem, morum asperitatem & sauitias. Item per quamlibet sufficientem causam ad faciendum matrimonij diuortium. Item ob graues inimicitias inter sponfos oratas, *l. 1. tota disp. 58.*

44 Sponsalia etiam iurata dissoluuntur per paupertatem superuenientem sine sponsi, siue sponsæ: & siue præcedat promissio dotis, siue non. Secus dicendum, quando vno stante in eodem statu permanenti, & alteri acerescat ingentissima diuitiarum copia, *lib. 1. tota disputat. 59.*

45 Iurans se aliquam ducturum, nulla dotis promissione præmissa, non tenetur ipsam ducere, si, cum ipsa diues sit, nullam ei dotem assignare velit, *lib. 1. tota disp. 60.*

46 Quando sunt duo vincula paria, & eiusdem

dem rationis impossibilia, prius præualet, & dirimit sponsalia. Item dirimuntur sponsalia per aliquod inconueniens notabile, aut nouam causam superuenientem, quæ si à principio extitisset, impediret ea contrahi, quamuis sint iurata, & ea noua causa contigisset postquam sponsus in mora fuit ea implendi, *lib. 1. tota disp. 62.*

47 Sponsalia etiam iurata dissoluuntur ex causis præcedentibus ignoratis. Item per fornicationem præcedentem sponsæ, non tamen sponsi. Item dissoluuntur, quando putabatur virgo, & erat vidua. Item dissoluuntur, quando erat vidua, vel aliàs corrupta propter fornicationem ignoratam. Secus dicendum, si ille sciebat, illam esse impudicam. Item potest sponsa recedere à sponsalibus, si sponsus existimabatur non valdè vitiosus, & denuò cognouit sponsa esse vitij notabiliter deditum, *lib. 1. tota disp. 63.*

46 Quando dolus admissus per alterum sponsum, ipsoque culpæ reo existente, causam dedit contractui sponsalium, sunt ipso iure nulla. Non tamen sunt nulla, quando alter sponsus non deceptus, sed quidam tertius, vel ipsemet contrahens sua propria falsa existimatione deceptus est. Datur tamen in hoc casu posse irritari. Etiam non sunt irrita, quando dolus non dedit causam contractui, *lib. 1. tota disp. 64.*

49 Causæ præcedentes ignoratæ, si dolus

S

cau-

causam contractui non dedit, non sufficiunt ad sponsalia dissoluenda. Et quando contrahens est dubius de voluntate ex causæ gravitate, iudicanda est ea iuxta arbitrium prudentis, *lib. 1. tota disput. 64.*

50 Sponsalia iurata, ut dissolvantur ex causa iusta, non desideratur iuramenti relaxatio, *lib. 1. tota disp. 67.*

51 Sponsalium dissolutio non potest peti ab eo, qui simili causa laborat, alteri tamen occulta, *lib. 1. disp. 68. nu. 9.*

52 Quando est certitudo causæ & facti, & quando causa publica, ac certa tam de iure, quam de facto, licet occulta, quando ipsa sponsalia sunt etiam occulta, nulla desideratur auctoritas iudicis ad soluendum illa; secus, quando causa est occulta & sponsalia publicæ, & iudex, cuius auctoritate dissolvenda sunt, est solus Ecclesiasticus, Ordinarius, vel delegatus, & non parochus, *lib. 1. tota disp. 69.*

53 Ad dissoluenda sponsalia in foro conscientie sufficit ea cognitio, quæ sufficit in foro externo, v. g. vnus testis, licet consanguineus, de certa scientia iurans, vel fama. Et si sit persona fide digna, & de certa scientia testificans, sine suspitione aliqua mendacij, sufficit sine iuramento, licet relatione aliorum propria experientia cognoscat causam dissolventi, *lib. 1. tota disp. 73.*

54 Si causa dissolutionis sponsalium occulta, infamiae grauis nota afficiat, ut si sit occulta spon-

Sponsa reputata virginis fornicatio, potest in iudicio detegi, ut ea dissolvantur, quando prius fuit monita ad dissoluendum, vel ad ad desistendum, & secundò per parentes, & proximos noluit desistere, *lib. 1. tota disputatione.*
70.

55 Vnicus testis non citatus, & oblatus per partem, & nolens testari publicè, & nominis publicatione, & allegans turpitudinem suam, & criminofus sit, plenè probat impedimentum, ne matrimonium contrahatur, licet sponsalia sint iurata. Non sufficit tamen vnicus testis, quando allegatur impedimentum impediens matrim. vel alia causa, qua existente, nullum est peccatum contrahere, *lib. 1. disp. 71. à nu. 1. vsque ad 8.*

56 Ut vnicus testis sponsalia perfici impediat, requiritur primo, ut deponat, & non sufficit denunciare, nisi probet de fama. Secundò, ut iuret, se certò scire impedimentum; & non sufficit de solo auditu testificari, nisi ad probandam cõsanguinitatem; dummodo distinguatur gradus clara computatione ab utroque latere. Tertio requiritur, ut testis non sit vilis persona, nisi aliter probari nequeat, considerante iudice qualitatem illius, *lib. 1. disp. 71. à nu. 9. vsque ad 12.*

57 Fama impedimenti plenè probat illud, ne contrahatur matrimoniũ, & dissolvit sponsalia etiam iurata, nisi adhibeatur de contraria fama clarior probatio. Et ad hanc probationem

nem contra famam admittitur iuramentum consanguineorum, & volentium contrahere, iuxta qualitatem personarum, & arbitrium iudicis, *libr. 1. disputat. 71. à numer. 13. vsque ad 17.*

58 Rumor non sufficit ad impediendum, ne matrimonium contrahatur. Differunt tamen fama, & rumor; fama enim est, quando maior pars vicinæ acclamat. Rumor verò, quando aliqua pars, v.g. tertia, vel quarta pars vicinæ, *li. 1. disp. 71. nu. 18.*

59 Pignora minimè valent in cōtractu sponsalium, si præcedat stipulatio pœnæ, & tradantur pignora, secùs si præcedat arrharum stipulatio, *lib. 1. tota disp. 38.*

Sponsus.

1 Sponsus potest cogere alterum, ad fidem sponsalium validorum seruandam, quando aliquo vitio occulto laborat, cuius si alter conscius esset, posset iustè resilire, *libr. 1. disp. 68. num. 8.*

2 Sponsus accedens ad sponsam conscius eius fornicationis, vel cuiusvis causæ dissoluendi, non potest dissoluere sponsalia valida, licèt antè habuisset animum non remittendi, *lib. 1. tota disp. 66.* Contrarium tamen sequitur Doctor, vt probabilius, *libr. 10. disputat. 14. num. 24.*

3 Sponsi habent ante consummationem bimestre ad deliberandum de religionis ingressu; ad profitendum verò integrum annum, qui
à iudi-

à iudice coarctari nequit, niſi magna interueniat cauſa; & licèt cōcedatur bimeſtre ad profitemdum, corrigitur per Trid. *Seff. 25. de Reg. cap. 15. lib. 2. diſp. 24. à nu 1. vſque ad 7.*

4 Si ſponſa duodennis tranſeat ad religionem, expectandus eſt ſponſus quadriennio, & ſi alter ſponſus prætextu religionis nimis differat matrimonium conſummare, vagans de vna in aliam religionem intra annum nouitiarius, iudex poteſt cōpellere, dato termino peremptorio, vt profiteatur in vna, vel redeat ad ſponſum, vt conſummet matrimonium, *lib. 2. diſp. 14. nu 8. & 9.*

5 Bimeſtre conſeſſum ſponſis non eſt præciſum, ſed arbitrarium, vnde poteſt iudex, cauſa cognita, reſtringere, vel prorogare; non tamen facile, *lib. 2. diſp. 24. nu. 12.*

6 Sponſus non intendens ingredi religionem, non tenetur intra bimeſtre reddere debitum; bimeſtre enim non conceditur rãtum ad hoc, ſed etiam vt ſponſi præparent neceſſaria ſolem nitati nuptiarum, & ne ſponſus citò ſibi traditam ſponſam parui pendat; pluris enim eam faciet, ſi traditio differatur, crescente in eo cupidine fruendi illa, *lib. 2. diſputat. 24. num. 25.*

7 Sponſus non tranſiens ad religionem ante bimeſtre, adhuc poteſt eo tranſacto ingredi, ſi matrimonium conſummatum non ſit, *lib. 2. diſp. 24. nu. 27.*

8 Sponſis impeditis contrahentibus ſponſalia

salia sub conditione (si Papa dispensauerit) nō licent tactus, & oscula ante dispensationem impetratam, vel post, dum non est ratificatus ille prior consensus. Idem dicendum de quibuscumque sponsalibus conditionalibus ante impletam conditionem, *lib. 5. disp. 5. nu. 38. 39. & 40.*

9 Sponsa non venit nomine vxoris in statuto, vt vir lucretur partem dotis, vxore decedente, *lib. 1. disp. 1. nu. 5.*

Stipulatio.

1 Stipulatio potest fieri tripliciter. 1. Quando verba promissionis, & executionis diriguntur in absentem, & tunc reuocari potest ante acceptationem absentis. 2. Quando promissionis verba diriguntur in presentem, executionis verò in absentem; etiam potest reuocari ante acceptationem absentis. 3. Quando impersonaliter, tacita persona cui promittitur, vt promitto, me daturum Titio, & valet, quando stipulatio interest. Et attēto iure Cæsareo, & antiquo Regio Castellæ, non potest alter alteri stipulari, *l. 1. disp. 7. à n. 1. vsque ad 4.*

2 Fratres non possunt stipulari pro fratribus, mater tamē potest, non vt quæratu actioni, pro quo fit stipulatio, sed qui stipulatus est, ager actione ex stipulatu ad interesse, *l. 1. disp. 7. nu. 5.*

3 Stipulatio patris pro filio est valida, quando stipulatur ad dandum aliquid filio, vel faciendum pro illo, si id quod dandum eius generis.

neris est, ut acquiratur, ut protectiriū quoad proprietatem, seu aduentitium quoad vsumfructum. Item est valida si non acquiratur patri, ut castrense, vel quasi, tunc stipulatio pro filio, ut filio, valida est, ut extraneo minimè. Item stipulatio patris pro filio, ut filio ob benemerita, quæ sunt erga extraneum. Item stipulatio ad aliquid faciendum pro filiofamilias, si factū personæ filij cohæreat, valet quoad filium, non verò quoad patrem, nisi sua inter sit interesse pecuniario. Et quando factum non cohæret personæ filij, ut filio, scribendum esse librum, idem dicendum est, sicut de stipulatione dandi. Item valida est stipulatio patris pro filiofamilias, ut filio pro tempore, quo sui iuris erit, ut extraneo minimè. Et in omnibus, in quibus potest stipulari pro filiofamilias, potest pro emancipato, *lib. 1. disputat. 7. num. 6.*
§. 7.

4 Curator pro minore, & tutor pro pupillo, ut legitimus administrator potest validè stipulari, *lib. 1. disp. 7. nu. 8.*

5 Filiusfamilias pro patre, seruus pro domino, monachus pro monasterio validè stipulari potest, in quibus potest pater. Secus dicendum de famulo respectu heri, & de filio iuris sui effecto loco patris, aut matris, & de discipulo respectu magistri, *lib. 1. disp. 7. nu. 9.*

6 Alter potest validè pro altero stipulari favore causæ piæ, *lib. 1. disp. 7. nu. 10.*

7 Stipulatio facta à notario pro absente:

S. 4

ante:

ante acceptationem, reuocabilis est, nisi fiat in iudicio, *lib. 1. disp. 7. nu. 11.*

8 Quando stipulatio fit ab his, qui possunt pro absente stipulari in contractibus lucrativis non indiget consensu absentis, & statim irrevocabilis manet. Secus dicendum de onerosis, & respectivis vltro citroque obligatorijs, *lib. 1. disp. 7. nu. 12.*

9 Nec obligatio civilis, nec naturalis oritur ex stipulatione eius, qui pro altero stipulari non potest. Nec oritur obligatio iure canonico, ex stipulatione alterius pro altero facta, licet iuramento firmetur, nisi fiat Deo in honorem eius. Etiam attentio iure regni Castellæ non oritur nisi servatis solemnitatibus iuris communis, quæ dicta manent, *lib. 1. di. 7. à nu. 18. vsque ad 28.*

Stuprum.

1 Stuprum non datur sine raptu. Atque ita violatio virginis sponte consentientis, quamvis sit sub cura paterna, non differt à simplici fornicatione. Tuncque solum adest species stupri, quando adest iniustitia, eo quod virgo violatur, siue sit sub cura parentum, siue non. Et vbi nulla vis infertur virgini, non est necessarium exprimenda in confessione circumstantia virginitatis, siue in actu desiderij, siue copula, *lib. 7. disp. 14. à n. 3. vsque ad 6.*

2 Ratio stupri consistit in iniustitia amissa auferendo violentè à virgine claustrum virginum, differtque à raptu, quod raptus solam
vio-

violentiam importat, non habita ratione status fœminæ, siue sit virgo, siue soluta, siue cõiugata. Vnde qui vi cognoscit virginem, duplicem luxuriæ malitiam specie diuersam cõmittit, alteram stupri, alteram raptus, & vtraque est necessariò confitenda, *libr. 7. disput. 14. num. 7.*

3 Corruptio virginis precibus importunis tunc est stuprum, quando preces illæ violentiæ æquialēt. Item est stuprum necessariò fatendum, si virgo dolis circumuenta, aut ignorans cognoscatur. Secùs dicendum, quando nulla vis infertur fœminæ virgini, sed solis parentibus, aut tutoribus, è quorum domo virgo volens abducitur, *libr. 7. disput. 14. num. 8. 9. & 10.*

4 Fœmina rapta præ timore consentiens deflorationi, minimè tenetur circumstãtiam virginitatis, vel raptus fateri; & dum solū fœmina desiderii copulæ confitens, non est consilium interrogare eam, an sit virgo; & ea, quæ non est virgo confitens desiderium fornicandi non tenetur explicare, se non esse virginem, nec confessor tenetur de tali circumstantia eã interrogare, nec ipsa interrogata tenebitur respondere, *lib. 7. disp. 14. num. 14. & 15.*

Suspensio.

1 Suspensus ad certum tempus, si eo tempore durante incurrat similem suspensionem, cõfunduntur hæc duo tempora, quando incurritur ipso iure, nisi iudex in sententia declaret.

ut incipiat finito priori tempore, *lib. 3. tota disputat. 50.*

2. Suspendus ab officio non est suspendus à beneficio, nisi expressè id declaratur. Tamen ubi suspensio esset perpetua, & ob grave delictum, potest sic suspendus priuari titulo beneficij. Unde parochus suspendus ab officio, quia interfuit matrim. clandestino, non est à beneficio suspendus, *lib. 3. tota disp. 51.*

3. Suspendus triennio, vel ad certum tempus, quia interfuit matrimonio clandestino, non potest absolui ab Episcopo, nec virtute decreti Trid. *Sess. 24. c. 6. de reformat.* Tamen à suspensione ipso iure imposita in Trid. *Sess. 24. cap. 1. de matrim. parochi,* vel alij sacerdoti coniungenti, aut benedicenti alienos parochianos absque licentia proprij parochi, non solus Episcopus, sed etiam eius Vicarius generalis potest absoluerè, *lib. 3. tota disp. 52.*

4. Suspendio non incurritur, nec excommunicatio, nec interdictum ob culpam venialè, *ib. 9. disp. 32. nu. 29.*

T

Testamentum.

Pater potest dare facultatem filio testandi de legitima ipsi debita ex bonis filij, ut possit liberè de illis disponere in præiudicium aliorum filiorum. Exigitur tamen iuramentum patris, ut valeat licentia, nisi fiat in ipso actu testandi in vita, vel in morte; que in-